TITI TOBLERI,

doctoris in medicina, chirurgia nec non arte obstetricia, consocii honorarii Badensium munere medico fungentium adque medicinam publicam promovendam unitorum, syndici prioris in communitate Lutzenbergensi reipublicæ Helveto-Abbatiscellanæ,

FRAGMENTA OBSERVATIONUM DE PROFLUVIO MENSTRUO.



TROGÆ 1840.

Typis JOANNIS SCHLÄPFER.

PROLEGOMENON.

Vitam silentio ne transirem, veluti pecora, denuo opusculum conscripsi. Res profecto temeraria est, si animo perpondero, anachoretam literarium prope pecuariam degere, procul autem bibliothecis locupletioribus, quæ tantopere eum excolerent. Sed cuinam mortalium solamen, hæc divina cordis fax, non affulget? *Quod potui, feci; faciant meliora potentes.*

Quum meta nostra sit veritas, cur non illam genus humanum contigit post tot sæcula tantosque conatus? Aliqui illuc tendentes æmulantur sapientem, qui alis glacie fabricatis in solem volare studuit. Literati, ordinem apiarii spernentes, constituunt rempublicam anarchicam; alii condunt, alii delent, alter imperat, alter haud obsequitur, nonnulli incipiunt finitum, ceteri finiunt inceptum. Nec igitur miror, veritatem nondum terminos infantiæ egressam.

Quotidie observationes præconiantur omnibus numeris absolutæ. Ne nimis autem fidas; nemo enim titubantium gramen tuto amplectitur. Vera experientia, teste *Georgio Baglivio* *, millenis observationibus superstruenda est. Utique concedo, viros eruditos coævos non parum progressos esse statuendo et computando copiam singularum animadversionum, ut exinde veritas firmior eluceat. Quod etiam valet de medicina, præcipue de legibus mortalitatis, qua in re multum impetravit medicus Berolinensis, nomine *Casper*. Jure dolendum, omnes medicinæ ramos non eadem assiduitate esse elaboratos. Extra omnem aleam positum est, doctrinæ quoque de menstruis mulierum incerti quid hodienum adhærere. In hanc quidem incumbere commodum duxi, sperans, fore, ut lector symbolam meam, utut exilem, benevole accipiat.

De certitudine ætatis, qua prima ultimaque menstrua comparent, dubia movere juvat. Memoria recurrit, plures ægras me fefellisse, nempe responsus de eadem materie prioribus contradixisse. Neque mirum; phænomena menstrua mulieris minime, sicut

---

* »Non itaque, si quid vix *millesimo in corpore* aliquem decipit, id fidem non habet, cum per *innumerabiles homines* respondeat« *A. Corn Celsi* de medic. libri VIII. L. B. 1665. Pag. 65.

dies nativitatis mortisque, in libro inscribuntur. Certiora tamen fragili hominum memoria haud reperi, nec alii medici ejusmodi calculos in lucem emittentes expiscati sunt. Utcunque res se habeat, sane stylus arithmeticus securiori tramite perducit ad veritatem, quam opiniones plerumque ad hodiernum usque diem facili negotio e penu recordationum fugacium decerptæ. Disquisitiones physiologicæ fere semper invincibilibus allidérent impedimentis, lege jubente: *Ni optimum nancisceris, sine reliqua.* Præterea aliam adhuc rem tangam. Quæ ad medicum confugiunt mulieres, non inconcussa valetudine secunda gaudent, quo fit, ut de sanissimis disserendi occasio desit. Sed nullus non credit, feminas nostras quovis medici auxilio carentes rarissimas esse. Hinc valde dubito, alia me investigaturum fuisse, mulieribus sine discrimine omnibus accitis.

Scopus opusculi est:

1) physiologum suffulciendi in aliquibus quæstionibus de profluvio menstruo;

2) medicum nostrum forensem certiorem reddendi de ætate media* pubertatis sterilitatisque;

---

*) *Aetas media* non sensu Latinorum priscorum intelligendum est, sed recentiorum, Gallice *age moyen*, apud Germanos durchschnittliches Alter.

3) adjuvandi medicum catameniorum vitia curantem, saltem in definienda ætate media mulierum prima ultimaque vice menstruatarum.

De primitiis menstruis.

Duæ functiones, excretio lactis nimirum et catharsis sanguinis menstrui, mulierem longe diducunt a viro. Utraque eo conspirat, ut prolis vita sustineatur: altera, quamdiu fœtus moratur in gremio materno; altera, illo eliminato. Inde claret, mulieres vastæ infirmitatum seriei patere, qua viri haudquaquam affliguntur, ita ut illæ ad ærumnas terrestres tanquam creatæ videantur.

Menstrua sistunt periodicum profluvium sanguinis e partibus naturalibus mulieris. Aetatem autem primis catameniis faventem ante perscrutabor, quam typum profluvii inquisiturus sim.

Mulieres observatæ sunt parte Abbatiscellanæ, parte ex Valle Rhenana inferiori, Fovea et Eggersrîed ortæ, duæ Altstadienses Rhenovallenses*, una ex civitate Sangallensi**, una Toggiensis***, quatuor

---

* Aetatis anno 14., 15., 18. menstruatæ.

** Anno 16. menstruata.

*** Anno 17. menstruata.

Thurgovienses *, paucæ Gaissovienses **, duæ Hochstadienses *** atque in minimum tres Suevæ trans lacum Podamicum natæ †. Abbatiscellanarum aliquot Teufæ habitabant, longe plurimæ vero in regione pagi orientali, quæ Brevimons audit. Cum mulieribus Brevimontanis intimam fovent affinitatem Rhenovallenses, id quod historia, dialectus, mores docent. Exceptis politicis institutionibus, Brevimontani cum Rhenovallensibus *unum* componunt populum. Itaque Brevimontani et Rhenovallenses ad peculiarem tribum Allemannicam pertinent.

En tabulam mulierum prima vice menstruatarum (pagina sequenti).

De priori serie (270) dicam, antequam ad posteriorem transeam. Differentia ætatis, qua prima catamenia comparent, excurrit (ab ætatis anno 12. usque ad 22.) decennium. Plurimæ vero primitiæ, scilicet 150, contigerunt ætatis annis 16, 17. et 15. ceteros longe excellentibus.

---

* (Duæ) Anno 14., 15 et 19. menstruatæ.

** Gaissovia, vicus Austriacus, ob proximitatem suburbium Rheineckii appellari posset. Saltem quatuor sunt Gaissovienses, anno 13., 17, 18. et 20. menstruatæ.

*** Anno 17. et 19. menstruatæ.

† Anno 15., 16. et 17. menstruatæ.

Aetatis anno:	Numerus Abbatiscellan. et ceterarum:	Numerus solum Abbatiscellanarum:
12.	6	4
13.	15	8
13. sive 14.	1	1
14.	34	16
14. sive 15.	1	1
15.	47	30
16.	55	31
17.	48	17
18.	26	12
19.	20	10
20.	6	1
21.	8	2
22.	3	1
	270	134

Sex videmus mulieres, quarum primitiæ jam anno 12. experrectæ sunt. Scriptores medici multo præcociorum puellarum mentionem faciunt. Professor *d'Outrepont** meminit infantis nono ætatis *mense* catameniis salutatæ, pube jam crispa et badia vaginam

* Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde Weimar 1826. 1. Bd. 1. Hft. Pag. 151 sqq.

cingenti. Dr. *Susewind** narrat de puella ab exacto primo anno ætatis menstruanti. *Hercules Saxonia* refert, se novisse puellam, cui menstrua quinto ætatis anno apparuerint et ordinatim singulis mensibus modice fluxerint. Ne fusius loquar, *Fernelius, Gesnerus, Verzascha*** puellam anno ætatis octavo menstruatam memoraverunt.

Sex mulieres nostrates in præsentia propius indagare volo. Sine una omnes sunt netrices; ruricola, prope oppidum Rheineck, ingenio insignis et admodum tenera fibrarum compage donata; quatuor Abbatiscellanæ; omnes sat proceræ, si exceperis Ursulam K.; cunctæ obesæ, nisi illa rustica*** in phthisin quam pronissima.† Post prima menstrua erant

---

* C. Christ. *Schmidt* Jahrbb. der in- und ausländischen Medicin. Lpzg. 1839. 21. Bd. 2. Hft. Pag. 206 a.

** *Bernhardi Verzaschæ* Centuria I. observatt. medic. Basil. 1687. Pag. 67.

*** Dr. *Marcus d'Espine*, Genevensis, ad quem serius sæpe redibo, schemate explicat, mulieres rusticas in provectiori ætate habere primitias, quam oppidanas. Untersuchungen über den Einfluß des Clima's auf die Pubertät ex Archives générales, Sept. et Nov. (1835?), in Germanicam linguam translatum in Dr. L. F. Froriep neue Notizen aus dem Gebiet der Natur- und Heilkunde. Weimar 1836. Nro. 1026.

† »Ubi fluxus menstrui præmature imminent, plerumque

regularia Ursinæ T., irregularia Annæ Barbaræ H., parcissima Elisabethæ L., absque molestia saltem Ursulæ K. Addoque, præter rusticam prope oppidum Rheineck, omnes feminas ne in vicis quidem, sed rure spiritum ducere. Tamen notandum est, rempublicam Abbatiscellanam, sine montium pascuis, efficere vicum dispersum, circa templa utique confertiorem. Insuper vita sedentaria considerata laboreque nervos parum aut leniter solummodo intendenti, quid nos impedit, quo minus morum quamdam urbanitatem in Abbatiscellanis inveniamus, quamvis lectio librorum mollium rarius corrumpat mulieres nostras?

Menstrua ætate 21 annorum apparuerunt octo puellis: duabus Abbatiscellanis, quinque Sangallensibus et uni Hochstadiensi. Maria Josepha E. est perparva cum parum evolutis mammis, sat multo ingenii, at animo tristi. Ante inaugurationem menstruorum sine sinisteritate celebratam frequenter utebatur medicaminibus. — Hochstadiensis est parva, obesa; primitiæ sine molestia intraverunt, tunc singulis quatuor hebdomadibus redierunt. Quamvis autem nupta, nun-

»proclivitas ad phthisin adest. Ubi illi ultra tempus præscrip»tum perdurant, facile nascitur hydrops.« Ch. Th. *Selle* medicina clinica. Berolini 1788. Pag. 165.

quam tamen peperit. — Victoria K., potius parva; post primitias typus menstrui cursus retardans. — Salome D., adjutrix pistoris, obesa, pallidissima, laborabat ætatis anno 20. dira cephalalgia *, secundaque catamenia dimidio post anno advenerunt, serius autem in periodis ordinatis. — Ursula T., sat procera et obesa, sed vecors, straba, valga, perimbecilla, perpessa est dolores colicos sacralesque primis catameniis associatos; secunda se insinuaverunt post anni curriculum. — Elisabetha H., gracilis, perquam procera, rustica, maximopere abhorret sexu virili Sæpe tres, usque ad sex menses, immo semel sex annos menstrua emanserunt. Cœlibatum stricte observabat ad annum usque 52., quo propter melancholiam religiosam auxilium meum petiit.

Duntaxat duas Sangallenses et unam Abbatiscellanam menses primi ætatis anno 22. aggressi sunt: Annam Mariam B. cum gravamine, cujus causa, præsertim contra chlorosin, medicamenta sumebat. Serius sat ordinata erant factaque est mater octo liberorum, quorum septem vivunt. — Uxori Tobiæ L., mediocri statura, ætate quinque annorum pedibus

---

* »Quibus feminis menstrua non proveniunt, necesse est »capitis acerbissimi dolores sint, vel quælibet alia pars morbo »infestetur.« *Celsus* in l. c., pag. 63 (lib. II. cap. VII.).

insistere vires recusabant. Jugiter ægrotabat ante primitias menstruas multa molestia connexas. — Annam Catharinam L. infestabant magni tumores scrophulosi colli, quin etiam fluxui menstruo nequaquam cedentes.

Non abs re erit, si quando remur, primitias menstruas titillatu verendorum maturius cieri. Interim in medium proferam duas puellas hanc opinionem minime defendentes. Maria Ursula B. erat anno 13. ætatis, qua scorbuto affectam tractavi, nondum menstruans, quamquam notum sit, eam pluries, etiamsi imperfecte pro natura pusillæ puellæ, coivisse cum patre suo. Anna Maria E. jam 13. ætatis anno inivit concubitum, cui per longum spatium crebro indulgebat. Nihilominus menstrua demum 18. ætatis anno incurrerunt. Me haud latent lamenta multorum, qui mores depravatos nonnisi malis fructibus ævi nostri, aberrationi ab antiquo, solertiori juventutis institutioni urbesque vicosque polluenti attribuunt. Quid autem respondeas, si doceris, puellas modo nominatas minime præcellere ingenio a ludimagistris polito, neque in urbibus, neque in vicis habitare, sed potius rure obscurissimam agere vitam? In illis montium tuguriis, ubi nulla diaria publica leguntur, sæpe numero pravitas morum corda, ut mentiuntur, insontia circumretit.

Quando observationes nostras de ætate mulierum prima vice menstruatarum cum aliis comparaverimus, ipsas satis congruas inveniemus, ratione habita cæli aliorumque momentorum. Quæ de mulieribus Manchestriæ et Gottingæ dicuntur, debemus, juxta *Marcum d'Espine*, duobus viris, *Roberton* et *Osiandro*.

Tabula mulierum prima vice menstruatarum.

Aetatis anno:	Massiliæ et Tolanii:	Parisiis:	Manchestriæ:	In regione nostra:	Gottingæ:
9.	0	1	0	0	0
10.	0	0	0	0	0
11.	6	3	10	0	0
12.	10	14	19	6	3
13.	13	6	53	15	8
14.	9	18	85	35	21
15.	16	14	97	48	32
16.	8	7	76	55	24
17.	4	6	57	48	11
18.	2	5	26	26	18
19.	0	8	23	20	10
20. et 21.	0	3	4	14	8
22. et 24.	0	0	0	3	2
	Mul. 68	85	450	270	137

Videmus primitias menstruas ætate ita limitatas:

Massiliæ et Tolanii	ab anno 11.	et 18.:	dist. =	8 ann.
Parisiis . . .	» » 9.	» 21.:	» =	13 »
Manchestriæ .	» » 11.	» 21.:	» =	11 »
In regione nostra	» » 12.	» 22.:	» =	11 »
Gottingæ . .	» » 12.	» 24.:	» =	13 »

Medium ideo inter extrema:

Massiliæ et Tolanii	15.	ætatis	annus,
Parisiis	15.	»	»
Manchestriæ . .	16.	»	»
Apud nostrates . .	17.	»	»
Gottingæ . . .	18.	»	»

Quod medium nomino *ætatem probabilem*, ab ætate *media*, de qua infra loquar, bene distinguendam.

Plurimæ primitiæ acciderunt Gottingæ apudque nostrates post quintum decimum annum, ante vero Massiliæ ac Tolanii.

Major pars mulierum sunt menstruatæ:

Massiliæ et Tolanii *)	annis 15., 13. et 12.	sive anno	15.,
Parisiis	» 14., 15. » 12.	» »	14.,
Manchestriæ . . .	» 15., 14. » 16.	» »	15.,
Gottingæ	» 15., 16. » 14.	» »	15.,
In regione nostra .	» 16., 17. » 15.	» »	16.

*) Observationes Parisienses et Massilienses et Tolanienses non ex toto meras puto, quoniam etiam plures feminæ exteræ censum explent

Quodsi omnes ætatis annos 270 mulierum nostrarum complectimur indeque orientem summam (4374) ipsis (270) dividimus, habebimus uniuscujusque *ætatem mediam*, qua prima menstrua in conspectum veniunt, scilicet annis $16^{27}/_{135}$ constantem.

134 Abbatiscellanæ fruuntur ætate communi 2129 annorum, atque anni $15^{119}/_{134}$ conficiunt ætatem mediam, qua primi menses irruunt.

Mentione dignum censeo, puellas Abbatiscellanas in plaga celsiori subque sole minus calido citius prima menstruatione Rhenovallensibus salutari. *Marcus d'Espine* contendit, calorem externum in apparitionem mensium tantam exserere vim, ut gradus duo thermometri sive caloris annui medii, ceteris paribus, producat discrepantiam circiter centum dierum. E. g. calor anni medius Manchestriæ illum, qui Gottingæ est, duobus sive tribus gradibus Fahrenheitianis superat. Inter hæc constat, calorem annuum medium in Valle Rhenana minimum uno duobusve gradibus Réaumurianis altiorem esse, quam in superioribus locis Brevimontanis, ubi tamen citius intrant menstrua. Hic absque dubio in causa est, ut, quemadmodum supra monui, mollior urbanæque similis vita domi agatur, dum multæ Rhenovallenses rustico opificio vacantes aëris intemperiem hauriunt, majores corporis vires sibi conciliant, difficiliusque otium ad mentem

corpusque lascivia inflammandum lucrantur. Ergo duo climata, ut ita dixerim, maxime influunt in citiorem serioremve menstruorum apparitionem, utpote sol macrocosmicus et microcosmicus, duo calores, quippe astri solaris et œstri Venerei in animo corporeque molliori faciliter excitandi.

Cum de his dictum sit, quæ ipse observavi, ad ea veniendum est, quæ commemoraverunt alii medici, saltem nonnulli, ne nimis neglexisse videamur. Testante Dr. *F. G. Oppenheim* *, puellis Turcicis jam ætatis anno decimo menstrua apparere; sed his effatis, ut serius percipies, nullo modo fido. Magnus noster *Albertus Hallerus* valdopere errat, primitias menstruas sub cælo mitiori, etiam Helvetico, anno 12. sive 13. contingere. Veritati propior accessit nostras *Sim. Andreas Tissot* prima menstrua intra 14. et 16. ætatis annum quærens **. *J. F. Blumenbach* præcipit: »Auspicia hujus functionis (menstruæ) nostro sub »cælo incidunt in annum ætatis decimum quin»tum ***«. *C. G. Hufeland* primis menstruis intervallum longum ab ætatis anno 14. usque ad 18. con-

---

* Ueber den Zustand der Heilkunde in der europäischen und asiatischen Türkei. Hamburg 1833. Pag. 54.

** Avis au peuple sur sa santé. Paris 1770. Pag. 287.

*** Institutiones physiologiæ. Gottingæ 1798. Pag. 427.

cedit. *J. Ch. Jörg* tradit, menses primos nostro sub cælo ætatis anno 13., 14. et 15. stillare *. At hæc universa et alia permanebant incerta, donec observatores Manchestriæ et Gottingæ aliique multiplicibus et accuratis animadversionibus suffulti novam accenderent facem. In tabula porrigam ætatem mediam feminarum prima vice menstruatarum.

Loca, ubi observationes institutæ sunt:	Aetas media excurrit ann.:	Numerus mulierum:
Gottingæ	16,088	137
In regione nostra	$16^{27}/_{135}$	270
In Abbatiscella unice	$15^{119}/_{134}$	134
Manchestriæ	15,191	450
Lutetiæ Parisiorum	14,965	85
Massiliæ et Tolanii	14,015	68
Tolanii unice	14,081	43
Massiliæ unice	13,940	25

Jamjam in Idiotico Abbatiscellano ** proposui, populum nostrum duabus varietatibus esse commixtum, puta, albidiori et nigriori. *Galenicam* divisionem in quatuor temperamenta refutavi, quoniam in omnibus populis animadvertuntur, non autem ambæ

---

* Geburtshülfe. Lpzg. 1820 Pag. 44.

**) Appenzellischer Sprachschatz. Eine Sammlung etc. Zürich, Orell, F. u. K., 1837. Pag. XXVI. præfationis.

varietates physiologo ipsoque historico nequaquam vilipendendæ. Non alienum certe videtur enucleare, an varietas australis sive nigrior citius maturescat. Nec me quidem fugit, puellas Judaicas ex calida plaga oriundas nostro sub cælo Germanicis mulieribus ocius menstruari, nec decussationes nuptiales nostratium fere innumeras meris observationibus magnum injicere obicem.

Varietatem primam distinguo colore atro vel nigriori (austero) sive in nigrum abeunte comarum, ciliorum, superciliorum iridisque, pilis nigris sive badiis, iride badia aut, quod rarius est, grisea, cærulea.

Varietas secunda dignoscitur colore albidiori (læto) aut in flavum abeunte comarum, ciliorum, superciliorum irideque grisea, glauca, cærulea sive badia. Etiam rutilas puellás, quarum tres offendi, inter secundam varietatem annumeravi. Rutilæ sunt: Barbara N., Abbatiscellana, obesa, sat longa statura, sed scrophulosissimo habitu, iride cæsia, ætate 19 annorum primum menstruata; Anna Magdalena G., Abbatiscellana, mediocri, robusto corpore, 17. anno menstruata; Barbara L., Sangallensis, sat magno, ast macro corpore, iride subflava, ætate 16 annorum primitias menstruas passa.

Raro igitur nigris pilis iris cærulea, pilisque albidioribus badia unitur. Color pilorum in hoc themate propterea majoris est momenti, quam iridis, quod quasi flores systematis sexualis sistunt, ætateque tenera, viripotenti, decrepita commutantur. Hinc pilorum nigrorem in varietate prima perpetuum putavi, atque vix inconstantem iridis.

Prima menstrua provenerunt ætatis anno:	Numerus mulierum varietatis primæ:	Numerus mulierum varietatis secundæ:
12.	4	2
13.	6	7
13. sive 14.	1	0
14.	18	10
14. sive 15.	1	0
15.	22	19
16.	24	16
17.	27	13
18.	14	5
19.	5	7
20.	3	1
21.	1	1
22.	2	1
	128	82

Exinde varietatem primam numerosiorem esse patet. Aetas probabilis in varietate prima et secunda eodem fere numero exprimitur. Differentiam aliquam tamen indicit ætas media, nempe excurrit

in varietate prima $16^3/_{128}$ an.,
» » secunda $16^{11}/_{82}$ an.

Ideoque menstrua in varietate prima *paululum* maturius intrant, quam in secunda.

Dr. *Marcus d'Espine* etiam eundem in finem colori pilorum iridisque animum attendit, non autem, uti hic cernimus, distinxit varietatem albidiorem atque nigriorem. Perperam, ut mea fert opinio, minutulam divisionem proposuit. Ecce schema *Marci d'Espine:*

Color pilorum	Color iridis.	Numerus mulierum:	Aetas media:	Discrimen extremorum:
Niger seu badius.	Glaucus, æruginosus, cæruleus.	5	13,80	8 ann.
Badius.	Niger seu bruneus	16	14,15	8 "
Badius.	Glaucus.	10	14,45	$7^1/_2$ "
Subbadius.	Cæruleus.	5	14,90	6 "
Badius.	Cæruleus.	16	15,09	12 "
Fuscus.	Cæruleus.	5	15,20	8 "
Albidus.	Cæruleus.	2	15,50	7 "
Niger seu badius.	Niger seu bruneus	9	15,89	7 "
Badius.	Aeruginosus.	7	16,06	6 "

D'Espine duas tantummodo novit puellas pilis albidis irideque cærulea, cum in regione nostra multitudini obviam eamus. Schema medici Genevensis arguit, magnopere variare reciprocum connubium inter colorem pilorum et iridis, neque mihi placet, conclusiones ex schemate illo deductas repetere. Nec quoque in ea, quæ ego exhibui, jurare licet.

Magis autem perpetuum est *tempus anni*. Catamenia prima contigerunt:

vere	apud	25	mulieres.
æstate	»	11	»
autumno	»	8	»
hieme	»	10	»
		54	»

Ex illis, quibus in hiberno tempore prima menstrua provenerunt, duæ in Dominica Invocavit et in subsequentibus bacchanalibus fluxu salutatæ sunt.

Minime mireris, verno tempore, quo plantæ terrestres in novam suscitantur vitam, majorem mulierum partem menstruari, quam reliquis temporibus anni. Calor externus vere adauctus, circulatio sanguinis accelerata, vita vegetativa valentior, motus corporis frequentiores fortioresque, neque non effusior animi alacritas corpus vicissim stimulans efficiant necesse est, ut menstrua facilius prorumpant.

*De pubertate.**

Pubertatis constantissimum signum est feminis menstruatio, variis varia. Leges itaque vix natura radicantur ad certum solum annum se restringentes. Recte veteres istam, quemadmodum in *D. Justiniani* institutionibus** legimus, non ex annis tantum, sed etiam ex habitu corporis (in masculis) æstimari volebant. *Justinianus* vero, ne diutius castitas intuitu læderetur, pubertatem in masculis post 14. annum completum et viripotentiam in feminis post 12 annos completos accipere disposuit. Nemo dubitat, quin hæc dispositio non ubique solo cæloque quadret. »Homo crescit«, inquit *C. Plinius****, »in longitudinem ad annos usque »ter septenos, tum deinde ad plenitudinem. Maxime »autem pubescens nodum quemdam solvere, et præ»cipue ægritudine, sentitur.« Dum per Palæstinam iter feci, quidam ludimagister mecum communicavit,

---

* Ex titulo opusculi mei certe vix colligitur, me de pubertate quoque, quin etiam masculorum, paulisper scribere. Menstruatio vero adeo perpetuum pubertatis indicium est, ut silere nequierim, et quum de pubertate mulierum aliqua tradam, via proxima me ad masculos ducet, quorum media ætas pubertatis satis densa etiam nunc caligine involuta est.

** Amstelodami 1669. Lib. I. tit. XXII. Pag. 101.

*** Historia mundi. Basil. 1530. Lib XI. cap. 37. pag 210.

mulieres Joppenses quidem frequenter ætatis anno 15., raro autem 14. parere. Quoniam Aegyptiæ mammas vix operiunt, facile observas parvulas puellarum pubescentium, et quamquam de earum ætate sæpe quæsiverim, nunquam tamen amici mei responderunt, annum 13. nondum attigisse. Dr. *Oppenheim** memoriæ tradidit, puellas Turcicas jam anno 12. animum ad uxorem, quam modo mater sequatur, appellere. Ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. In plaga Europæ occidentali tantis nubitur difficultatibus exploratio ætatis mediæ primitiis menstruis congruæ; quanto plura impedimenta hujus generis vincenda sunt in imperio Ottomanico, ubi nulli libri natorum mulieresque adeo occultæ habentur. Certe magis nefas foret, si legem *Justiniani* solo cæloque nostro obtruderemus. Plurimis autoribus media pubertas Germanarum in annum 13. usque ad 15., *Adolpho Henke*** in annum 13. usque ad 16. ponitur. Rectius *Josephus Bernt**** monet, pubertatem puellarum plerumque anno 14. incipere. Nostrarum maturitatem intelligimus ex iis, quæ supra disputavimus, utut

---

* L. c.

** Gerichtliche Medicin. Berlin 1827. §. 123.

*** System. Handbuch der gerichtlichen Arzneykunde. Wien und Triest 1818. Pag. 50.

nequaquam negem, in aliquibus feminis, etiamnum deficienti menstruo fluxu, omnia illius signa me reperisse. Non adeo multum igitur opinio Dr. *Gabriel. Rüsch*, medici de republica nostra optime meriti, a calculo meo discedit: „Das schöne Geschlecht ist fein „und zart gebaut und gelangt, wie das männliche, etwas „später zur Reife, als in wärmern Gegenden; man kann „das **17.** Jahr als Regel annehmen"*.

De pubertate juvenum major dubitatio oboritur. Non minus infallibile quidem indicium pubertatis habemus in sexu virili, quam in sequiori, quippe primam effusionem seminis; sed eam eruere medicus practicus fere non cogitur, amorque studii utplurimum pudicitia frenatur. Barbæ vel potius lanuginis germinatio utique sat perpetuum est signum, non autem primum; nam numerosi masculi sunt puberes, quin barba lætentur. Haud adeo rarissime videmus *patres imberbes*, quia lex nostra libertatem uxorem ducendi enixe tuetur. Immo tempus a prima pubertate ad originem usque barbæ multum differt, nonnunquam aliquot annos facit. Servum diu jam procerum, e. g., ætate 27 annorum imberbem novi Teufæ. Sed fere supervacuum est, quod modo dixi, quoniam tam multi

---

* Der Kanton Appenzell, historisch, geographisch, statistisch geschildert. St. Gallen und Bern 1835. Pag. 50.

ante oculos poni possent. Ignoro, quibusnam luculentis rationibus adminiculari medicos, qui contendunt, tot totque annis serius juvenes fieri adultos. Facili negotio certe observamus incrementum corporis masculi in seriores annos protractum. Ubinam vero certiora, ubinam singulis stabilita?

»Deprehenditur«, infit *H. Boerhaave**, »eas (mu»lieres) longe minus perspirare, quam quidem viri »solent, atque etiam longe citius adipisci *ἀκμὴν* sui »incrementi.« *Jörg*** asserit, virginem ætatis anno 16. perinde esse puberem atque adolescentem annos 20 sive 21 natum. Vulgo in Germania pubertas in masculis post annum 14. usque ad 16., ab *Henke* post annum 15. usque ad 18. agnoscitur. Secundum *Bernt* vero pubertas plurimorum anno 16. contingit.

Scriptores ergo haud parum dissentiunt. Rebus ita perplexis, quid dicam de pubertate juvenum nostrorum? An biennio serius pubertatem masculorum statuere licet? Sane in masculis nostris annum 17. accipere malo, quam *Jörgii* opinionem sectari. Quisnam nostrum crederet, juvenes demum ætatis anno 19. pubertatem nancisci?

---

* Institution. medicæ. L. B. 1727. Pag. 317.

** L. c.

De ultimis menstruis.

Descendam jam ad tabulam mulierum ultima vice menstruatarum:

Aetatis anno	Quot mulieres?
35.*	1
40.	2
42.	1
43.	2
44.	1
45.	6
46.	8
47.	8
48.	9
49.	7
50.	17
51.	7
52.	9
53.	9
54.	5
55.	1
56.	2
58.	1
	96

* Frater meus *Joannes*, medicus Lupicliviensis, memoria

Itaque limites ætatis, qua menstrua cessant, sunt annus 35. aut potius 40. et 58., ita ut 20 anni intercedant; e contrario differentia ætatis, qua primitiæ catameniales proveniunt, duntaxat ad decennium ascendit. Attamen sensu strictiori decem anni (a 45. usque ad 55.) sunt periodus, qua sanguis menstruus exarescit.

Mulier 35 annorum est Teufensis, obesa et florido vultu; a cessatione mensium inde magnopere laborabat, cumprimis spiritus difficultate, cujus mitigandæ causa sæpe venam secari jussit. — Quæ feminæ anno 40. perdiderunt menstrua, morbis haud intactæ erant, præsertim Francisca L., quæ ex eo tempore gastrodynia vexabatur. — Quæ anno 42. mensibus orba evasit, tribus post annis scirrho mammæ afflicta est. — Sed jam anno 43. menses sine molestia disparuerunt.

Progrediemur ad annum 53. Uxor Antonii K. hac quidem ætate menses perdidit (ante pascham), sed serius, verbo sit venia, *sicci* aderant, scire licet, quovis mense dolores abdominales et sacrales, fluor albus largior, artuum lassitudo, cibique flatulentiam ex facili movebant. Mihi quoque aliæ in mentem ve-

---

tenet mulierem jam ætatis anno 30., post puerperium, a menstruis defectam.

niunt mulieres, ambæ hystericæ, ætatis anno 43. a fluentibus desertæ menstruis, quæ dein per longum temporis intervallum sat ordinatim sicca persistebant. — Alii feminæ 53 annorum catamenia discesserunt post dolores sacrales ad inguen usque proserpentes. Alii valedixerunt speciem hæmorrhagiæ uterinæ exhibentia. — Quæ mulieres menstrua ultima anno 54. et 55. exantlaverunt, nihil notatu digni offerunt. — Mulierem autem, cujus profluvium menstruum anno 56. evanuerat, apoplexia attonuit, deincepsque sapor cruentus molestavit. — Limitem insolitum menstruorum clausit mulier Vallensis, referenti filia sua, ad ætatis annum usque 58. menstruata; 21 liberos, ultimum anno 54.*, peperit, ac bis abortivit. Profluvia sanguinis e matrice vetularum 60 et quod excurrit annos natarum hoc loco in medium proferre nequaquam mihi libet, quoniam haud catamenia moribunda fuerunt, sed potius metrorrhagiæ, quamvis quædam mulier, ætate et 60 et 62 annorum cruorem fundens, quodammodo periodum imitata sit**.

---

* »Mulier post quinquagesimum annum non gignit«, ait perperam *Plinius* (l. c. lib. VII. cap. XIV.).

** Reditum veræ menstruationis per tredecim menses in vetula 75 annos nata observavit Dr. *Hofer*. Vide Medicin. Correspondenzblatt des würtembergischen ärztlichen Vereins. Herausgegeben von den DD. *J. Blumhardt* etc. Stuttgart 1839. Bd. IX. Nro. 14. pag. 108.

Raro observamus, consummatis mensibus, novam quasi pubertatem, sicut autumno æstas rediviva (Altweibersommer) raro nobis arridet.

Aetate omnium 96 mulierum sumta hacque summa (4723 annorum) ipsis (96) divisa, nascitur ætas media $49^{19}/_{96}$ annorum.

Cessatio menstruorum sub sole calidiori citius contingit. »Major pars (mulierum)«, inquit *Plinius* *, »quadragesimo (anno) profluvium genitale sistit.« *Oppenheim* ** scribit, menses mulierum Turcicarum anno 30. (?) ætatis disparere. »Les régles finissent«, perhibet *Tissot* ***, »naturellement et nécessairement »entre quarante et cinquante ans.« Functio menstrua nostro sub climate desinit anno 49. et 50. juxta *J. J. Plenck* †, circa 45. annum juxta *Blumenbach* ††, intra annum 45. et 50. juxta *Hufeland*, intra annum 44. et 48. juxta *C. G. Consbruch* †††, anno 46. usque ad 50. juxta *Jörg* *† etc. Ita medici inter se discordent necesse est, accuratioribus singulaque persequentibus observationibus neglectis.

---

* L. c.

** L. c.

*** L. c. pag. 293.

† Compendium institut. chirurg. Viennæ 1775. Pag. 144.

†† L. c. pag. 429.

††† Physiologisches Taschenbuch. Lpzg. 1817. Pag. 372.

*† L. c. pag. 46.

Paucæ observationes de utraque varietate mihi præsto sunt.

Cessaverunt menstrua ætatis anno:	Numerus mulierum varietatis primæ:	Numerus mulierum varietatis secundæ:
43.	1	0
45.	3	1
46.	3	0
47.	3	1
48.	4	1
49.	4	0
50.	6	2
52.	4	0
53.	3	1
54.	0	1
	31	7

Aetas media mulierum ultima vice menstruatarum varietatis primæ (nigrioris) est annus $48.^{24}/_{31}$ atque varietatis secundæ (albidioris) annus $49.^{4}/_{7}$. Summopere doleo, exiguum numerum talem honorem vix meritum esse, licet ea, quæ inde rite colliguntur, conjectioni meæ assententur.

Transibo ad vim, quam *tempus anni* exerceat. Ast et hic minor mihi suppeditat experientia, ut fere erubescam in lucem prodiens. Desiverunt catamenia:

vere	apud	1	mulierem *),	
æstate	»	0	»	
autumno	»	2	»	es,
hieme	»	2	»	
		5		

Si parvus numerus non obstaret, re vera foret facile explicatu, cur autumnus hiemsve, anni tempora asperiora, præsertim menstruis finem imponunt, quia constat, frigore fibram animalem crispari profluviaque cruoris imminui sive sisti.

Quot annos durant menstrua?

Ab ætate media mulierum prima vice usque ad istam ultima menstruatarum intercalantur, me calculanti, circiter 33 anni. Vita a cunis ad primitias usque menstruas generatim tot annos durat, quot hæc ab ultimis catameniis ad ultimum usque spiritum, itaque ærumna menstrualis in plurimis dimidiam vitam concomitatur. Quæ modo effatus sum, vix concutientur, etiamsi alia justiorique ratione procedam.

* Haud mentionem faciam alius feminæ, cujus menses quidem vere cessaverunt, sed post mortem infantis, et postquam mater lugubris funus semel inspexerat subsecuto subito terrore.

Numerus mulierum:	Menses inceperunt anno:	Menses desiverunt anno:	Duraverunt per annos:
1	13.	50.	37
3	14.	a) 48. (2)	34
		b) 49.	35
4	15.	a) 46.	31
		b) 51.	36
		c) 53.	38
8	16.	a) 45. (2)	29
		b) 47.	31
		c) 48.	32
		d) 50.	34
		e) 51.	35
		f) 52. (2)	36
10	17.	a) 46.	29
		b) 47.	30
		c) 49.	32
		d) 50. (4)	33
		e) 51.	34
		f) 53.	36
		g) 54.	37
3	18.	a) 43.	25
		b) 48.	30
		c) 52.	34
1	19.	54.	35
2	20.	a) 47.	27
		b) 45.	24
1	21.	40.	19
1	22.	53.	31
34			

Hac ratione calculandi nanciscimur 31 annos. Igitur menses duraverunt:

19	annos	apud	1	mulierem,	
24	»	»	1	»	
25	»	»	1	»	
27	»	»	1	»	
29	»	»	3	»	es,
30 *	»	»	2	»	
31	»	»	3	»	
32	»	»	2	»	
33	»	»	4	»	
34	»	»	5	»	
35 **	»	»	4	»	
36	»	»	4	»	
37	»	»	2	»	
38	»	»	1	»	em.
			34		

* »Gravis *uteri* functio est, ut per 30 circ. annos men»struum tributum solvat.« *Blumenbach* l. c. pag. 426. Novissimis non tantum observatoribus proditur, exstirpato utero, menstrua perstare, sed hoc etiam a medico vetere percipimus. Memorat enim *Jacobus Carpus* (Isagogæ in anatomiam H. C. Argentorati 1530. F 2 b), extracto matricis receptaculo, menstrua temporibus debitis perduravisse.

** »Il est rare, que cela (menstruatio) aille à trente-cinq.« *Tissot*, l. c.

Brevissima duratio excurrit 19 annos in nupta Francisca L., quæ, ut supra dixi, post ultima catamenia magnopere torquebatur. Longissimam vero durationem animadvertimus in rustica Lutzenbergensi valde vegeta, quæ ætate 55 annorum robore pollens fertilitatis signa præ se ferebat. Non nimis elucet ex exiguo numero præsentium observationum, quo maturius menstrua provenire, eo citius cessare. Magis vero constat, in mulieribus sero menstruatis generatim durationem esse breviorem.

Novi tres mulieres, quarum menstrua nonnisi per 29 annos manebant, quamquam concinniori ætate (anno 16. [2] et 17.) ingruerint. De singulis seorsim loquar. Ursula M. quotannis perpessa est sputum cruentum, atque 56 annos nata hypertrophiæ cordis succubuit. Maria Anna K., sat bono corporis habitu prædita, post ultima catamenia satis valebat, ætate vero 66 annorum gravi pectoris morbo correpta est. Parva conjux Conradi K. perdidit menstrua, prægressis multis miseriis.

Ut primus menstruorum impetus signum pubertatis, sic cessatio est indicium sterilitatis. Attamen cognitum est, menstrua plures annos metæ proximos fluere, quin conceptus succedat; v. c. illa femina, mensibus in annum 58. objecta, ultimam prolem ætate 54 annorum edidit. Uxor Joannis Josephi D.

ultimum puerperium ætate 45 annorum ultimaque catamenia demum anno 53. superavit.

Quot dies durat singula menstruatio?

Duratio profluvii menstrui magnopere variat. Plures mulieres ægre ejus vestigium deprehendunt, et, teste *Tissot*, menstrua tantummodo aliqua minuta horæ vel aliquot horas durantia existunt. Fit quoque ut per unum aut duos pluresve dies penitus intercipiantur, donec denuo regressa ad finem perveniant. Rarissimi tamen sunt casus, ubi vix vestigia incidunt, rari, ubi unum solum diem fluunt, plurimi vero, ubi tres sive quatuor dies manant*. Sunt utique mulieres, quæ demum septem aut octo diebus elapsis menstruatione, non quidem pro hæmorrhagica habenda, deserantur; immo in memoriam revoco, in aliquibus feminis menstrua duas, quatuor hebdomades et etiam ab autumno ad ver usque perseveravisse.

Una mulierum, quarum menstrua octo dies continuant, erat proclivis in profusiones sanguinis. Jacobi B. uxorem, imbecillimam macramque, per quatuordecim dies catamenia profusa gravare solent; nondum (ætate 21 annorum) concepit. Quod observa-

---

* *Blumenbach* tradit (l. c. pag. 428.), profluvium cruentum sex circ. diebus consuetim continuare.

tionem affirmat, feminas largis menstruis obnoxias difficilius concipere. Hinc si fluxum compescamus, subinde facile sterilitati medebimur. Certe nuptæ illius menses inter hæmorrhagias referendi erunt, apprimeque non opinor, ipsos octiduum supergredientes, præcipue simul nervorum vim infringentes, intra limites valetudinis secundæ versari.

De typo menstruorum.

Typus proprie regularis est circuitus quatuor septimanarum *. Qui typus quidem primorum ultimorumque menstruorum rarior, sed, nisi admodum fallor, sæpius erraticus occurrit. Regularitatem tamen, de qua sermo est, deprehendi in puella, cui 12 annos natæ, atque in pluribus, quibus 14 et 15 annos natis prima menstrua provenerunt; natu majores silentio præteribo. Et duplex est typus primorum ultimorumque catameniorum, aut anticipans, aut postponens.

Typus *primorum* menstruorum, quem prius explicabo, rarior se præbet *anteponens*. Menses redierunt in duabus mulieribus primum singulis post septimanis, dein quaternis; in una (varietatis primæ)

---

* »Cruentum illud profluvium ab eo inde tempore elapsis »quibusvis quatuor septimanis denuo redire . . . solet.« *Blumenbach* l. c. pag. 428.

secunda vice tribus, tertia vero quinque post hebdomadibus, serius tunc typo regulari obtemperaverunt; quædam mulier secunda vice perterrita est seriusque menses anticipaverunt.

Longe frequentior observatur *typus tardans.* Aliquas mulieres nominavisse, non incommodum erit.

1) In uxore Conradi B. menstrua primi anni singulis senis, novissime (habebat 27 annos) singulis quinis sive quaternis hebdomadibus reversa sunt.

2) A primis catameniis hystericæ Annæ Mariæ B. ætate 14 annorum ingressis usque ad secunda intervallum mensium transactum est; ab anno 19. usque ad 21. singulis tribus hebdomadibus illa cursum iteraverunt.

3) Debilis Anna Elisabetha N., Altstadiensis, ætate 14 annorum menstruata, primum typo trimestri addicta fuit.

4) Anna Catharina L., tenerrima cuti instructa, ætate 13 annorum primum menstruata, exantlavit catamenia nonnisi quinquies duobus primis annis, serius nunquam ordinata, citissima singulis quinque septimanis, sæpius autem tardiora.

5) Salome D., ætate 21 annorum primum menstruata, secunda vice fere dimidio post anno, serius autem regulariter.

6) Uxor Joannis Josephi D., ætate 17 annorum prima vice menstruata, secunda tribus post trimestribus. Tamdiu secunda menstrua emanserunt in Anna N., cui prima ætate 13 annorum provenerunt, sed tertia sequentiaque regulariter fluxerunt.

7) Quinque mulieres, ætate 15, 16, (2) 17 et 18 annorum menstruatæ, secunda catamenia senserunt post annum. In Anna Elisabetha L., quæ de ulcere scrophuloso colli conquerebatur, serius duabus tribusve hebdomadibus postposuerunt; etiam in procera, at subtili Barbara Z. tardantia fuerunt; in subtili chloroticaque Elsbetha L. serius et anticipantia et tardantia; una erat magna lupa; in quam infirmissima Ursula T. tertia menstrua perdiu emanserunt.

8) In muliere Sebastiano T. nupta comparuerunt prima catamenia ætate 15 annorum, secunda quatuor post septimanis, tertia ventre intumescenti fere anno post, subsequentia regulariter.

9) Anna Catharina R., tenerior, sed summe vivida, habuit primos menses ætate 17 annorum, secundique nondum uno post anno et dimidio redierunt.

10) In Anna Barbara M. prima catamenia ætate circiter 16 annorum fluxerunt, tunc per duos annos emanserunt.

11) Rosinæ S. ab ætatis anno 13., quo primitiæ menstruæ se insinuaverunt, usque ad 19. annum catamenia defecerunt.

Postposuit fluxus secunda aut tertia vice

apud	3	mulieres	anno	13.	menstruatas,
»	2	»	»	14.	»
»	2	»	»	15.	»
»	4	»	»	16.	»
»	4	»	»	17.	»
»	2	»	»	21.	»

Ne interim credamus, menstrua regulariter *desinere.* Deprehendimus enim non terminum profluvii quasi abscissum, sed ejusmodi decrementum, ut sensim sensimque copia sanguinis diminuatur, cursusque rarior, e. g. omni sexta sive septima hebdomade, fiat, donec prorsus evanescat. Sic recurrerunt menstrua circiter singulis trimestribus, vel omni eodemque veris tempore, aut semel anno dimidio vel toto præterlapso. Solius tantummodo memini feminæ, cujus ultima menstrua (una hebdomade) anticipaverunt.

Quæ hactenus seorsim de typo *primorum ultimorumque* mensium. Ad ea nunc transibo, quæ magis communia sunt.

Menstruus sanguinis circuitus profecto res memoratu dignissima censenda est. In periodo, qua luna terram

semel ambit, sanguinis profluvium e vulva rursus ingruit. Sicut accessus et recessus maris, ita accessus et recessus sanguinis muliebris erit problema physiologorum. Deus creavit multa enucleationi mortalium illudentia, ut plura coram divina majestate humiles admiremur, quam elati sciamus.

Periodus quidem menstrua, præterquam cum initio, tum fine, non integra vocari meretur. Reditus, ut supra significavi, non est adeo regularis, quamvis menstrua* Latinis quoque *menses*, Græcis *καταμήνια* (a *μήν*, mensis), Gallis *régles*, Italis *mesi*, *mestrui*, Germanis das Monatliche, die Regeln, die Zeit, die Periode et s. p. appellentur. Verissime dicit *H. Boerhaave***: »Eunt, redeunt, vario in variis tempore, »menstrua«. In plurimis quidem feminis revertuntur singulis mensibus lunaribus. Aliquot mulieres certiorem me fecerunt, reditum immo ad horam esse determinatum ceu lege præscriptum, ulteriusque interrogatæ adjunxerunt, a primo menstruorum die usque ad primum subsequentium regulariter 28 dies elabi***;

---

* »Sanguis menstruus appellatur, quia singulo mense in »adulta muliere non gravida redundans, nihilque utilitatis »tunc in corpore habens a natura per uteri os foras emitti»tur.« *Fortunii Liceti* de perfecta constitutione hominis in utero lib I. Patavii 1616. Pag. 73.

** L. c. pag. 319

*** Menses unius feminæ primum singulis ternis septimanis apparuerunt.

rarius totidem prætereunt iu quadam muliere (in alia vero semper) ab ultimo menstruorum die usque ad primum sequentium. Sed ab hoc ordine plurimæ feminæ recedunt. Sunt enim menstrua sive regularia, sive irregularia; illa dirimo in regularia tum anticipantia, tum postponentia.

Primo loco disseram de *mensibus regularibus anticipantibus.* Observavi menstruorum reditum singulis quaternis denis diebus*, ternis hebdomadibus**, singulis vicenis ternis diebus (in ægra scirrho colli uterini laboranti). Nec unam autem reperi mulierem omnibus tricenis diebus menstruatam, sicut *C. Plinius* contendit***. — *Regularia tardantia catamenia* fuerunt singulis undetricenis diebus, pecularia que trimestri spatio redeuntia in Anna Barbara N., quæ hanc len-

---

* Menstrua puellæ proceræ 18 annos natæ primum singulis ternis septimanis apparuerunt. Recte *Ch. Theophilus Selle* (L. c. pag. 164) ad fluxum sanguinis præternaturalem e pudendis muliebribus refert, »quum fluxus nimis sæpe, e. g. »decimo quarto die recurrit.«

** Videlicet celebratis nuptiis, in cœlibatu vero singulis quaternis septimanis. Narravit Rhenovallensis, finitis menstruis 21 post diebus circuisse.

*** »Et hoc tale tantumque *omnibus tricenis diebus* malum »in muliere existit, et trimestri spatio largius (quod autor hujus »commentationis nunquam animadvertit). *Quibusdam vero sæ»pius mense*, sicut aliquibus nunquam, sed tales non gignunt (L. c. lib. VII. cap. XV.)«. An res Romæ ita se continet? An *Plinius* vocabulo *menses* seductus est? — Nulla mulier mihi

titudinem imputat choreæ, manenti fluxu. Sed adjiciendum est, carie jugi laboravisse, ac idiosyncrasiam adeo invaluisse, ut stomachus neque lardum, neque *lac* ferret, quam ob rem potus Arabicus pene more Turcarum meracus (niger), id est, lacte fere nullo coffeæ decoctæ admisto, ab ea bibitur.

Irregularitas mensium est aut *anteponens*, aut *postponens*, sive, quod multo frequentius obtingit, saltem curanti obviam it, alternatim utrumque. Sic menstrua per quatuor usque ad sex, per novem usque ad decem *, per tredecim, sedecim hebdomades

---

confessa est, a menstruis penitus esse defectam, quod tamen de pulcherrima, utique sterili, ab aliis audivi. Nec non frater meus *Joannes* mecum communicavit, se nubilem 30 annorum catameniis destitutam nosse. — Menstrua nomine *mali Plinio* insigniuntur. Nostra ætate atque in nostro pago non penitus immerito invalitudo nuncupari volunt. Quæcunque fere mulier, fluenti menstruo sanguine, singularem vivendi modum in ciboque potuque servat. Ita quoque olim apud nos. Usu trita enim erat, sicut Dr *Laurentius Zellweger* Trogensis amico suo, medico *Hirzel* (Vide ineditar. epistolar. Tom. I., in bibliotheca publica Trogensium), scribit, ratio dicendi: in die Suppe kommen (mensibus invadi), quam inde derivat, quod animali menstruanti, ut *Plinii* verbo utar, jus avenaceum non concesserant.

* Anna R., per decem circiter septimanas a menstruis defecta, febri menstruali laborabat, sicque multæ aliæ mulieres, sanguine menstruo, diu suppresso, impetuose viam sternenti, febriunt.

tardantur, quin etiam anno* diutius emanent. Inutile foret, si de tali lusu naturæ, quamquam in promptu habeam, specimina porrigere vellem; quot enim mulieres irregulariter sunt menstruatæ, tot ferme aliter. Quisnam autem in enarranda tanta farragine æquo animo gloriari posset?

** Anna Z., per sesquiannum sine menstruis, erat maniaca.




ÖNB



